



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Multitudo peccatorum grauium in seculo commissorum, non debet
retrahere peccatorem ab ingressu in Religione[m]. C. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

Thom. 1.
2. q. 87. a.
4. & 3. p.
q. 1. a. 2. ad
2.
Bonau. 3.
d. 20. q. 3.
in 2. ra-
tione. Sed
contra
Ign. 8.
ad 7. In-
terrog. P.
Brandani
M. 5.
dial. c. 3.

c. 39. vit.

Thomas, S. Bonaventura & S. P. N. Ignatius, & aliqui nobiles Theologi: Peccatum, inquit S. Thomas, commissum contra Deum, quandam infinitatem habet, ex infinitate diuina. Maestatis. Tanto enim offensa est grauior, quanto maior est ille in quem delinquitur. Confirmatur hæc doctrina testimonio Dei Patris, qui S. Catharina Senensi dixit expressè: Omnes pena quas anima sustinet vel sustinere potest in presenti seculo, nullo modo condigne sunt ad culpam etiam minimam puniendam, quoniam offensa qua mihi fit, qui sum bonum infinitum, procul dubio satisfactionem exigit infinitam. Non exigeret autem satisfactionem infinitam, si non esset infinita malitia in peccato vel offensa Dei infinita. Hinc merito dixit B. Catharina Genuensis: Quid putas prestarem, quantum facerem, etiamsi tot sanguineas lachrymas profunderem, quot maris sunt gutta, ut satisfacerem pro peccatis meis: Arbitraris pro minimo peccato satisfacerem? Nequaquam. Nam si tantum paterer, atque tam diu quantum ipse diabolus, ad hæc, tot cruciatus & martyria in hoc corpore sustinerem, quoque mente comprehendi possent, non crederis amorem posse hæc apud Deum satisfactionis loco ducere, neque inuenire vocabulum huic negotio congruum. Abstine ergo peccatis infinite Deum offendentibus.

127.

Decimum quartum motiuum, abstinenti ad peccatis mortalibus, est summum odium quo diuina Maestas prosequitur existentem in peccato mortali. Nam ut dicit Spiritus Sanctus: Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius. Est autem hoc in Deo odium peccati maximum & quodammodo infinitum.

Sap. 14. 9.

Primo. Quia ut vidimus paulo antè, in peccato quouis est infinita Dei offensa: idè meretur detestationem & odium Dei, suæ malitiæ proportionatum, ac proinde infinitum.

Buclin Pa-
nar. V.
Peccat.
p. 2. §. 372.

Secundo. Quia quò quis maiore bonitate præditus, eò vehementius odit malitiam & peccatum; cum autem Deus infinita bonitate sibi essentiali sit præditus, etiam infinite odit peccatum.

Tertio. Quia hanc ob causam in peccato mortali mortuos priuat bono infinito, scilicet se, & sui clarâ visione in cælo.

Quarto. Quia eandem ob causam punit malos in inferno, penis infinite duraturis, quia in æternum sine villo sine durabunt.

128.

Hæc sunt signa infiniti in Deo odij aduersus peccatum. Nec mirum. Quia nunc grauiora sunt ceteris paribus, malorum peccata. Ideo Beatissima Virgo Maria sic conquesta est coram S. Brigitta: Nunc conqueror, quod filius meus ab inimicis suis qui nunc sunt in mundo, amarior crucifigitur, quam tunc Iudei crucifixerunt eum. Nam licet Deitas impassibilis sit, nec mori possit, tamen propriis vitis crucifigitur eum. Sicut enim aliquis homo, imaginem alicuius inimici sui contumeliam & lesionem faceret, licet imago non sentiret illatam, tamen propter voluntatem malam ledenti, laesor quasi pro opere ar-

I. Reuel.
cap. 37.

140.

gueretur & diiudicaretur: sic eorum vitia qui spiritualiter crucifigunt filium meum, grauiora sunt ei & abominabiliora, quam illorum qui crucifixerunt eum in corpore. Et cum dixisset quibus modis peccatores crucifigunt Christi dextram manum & sinistram, & pedes eius, & quomodo pungant latus eius, subdit: Verè dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris: quod tales, sunt ante filium meum iniustiores iudicantibus eum, (scilicet Iudæis & Principibus sacerdotum, ac senioribus populi, qui prius eum iudicauerunt quam Pilatus) immitiores crucifixoribus eius, impudentiores venditoribus eius: & maior pena debetur istis quam illis. Pilatus scilicet filium meum bene non peccasse, nec dignum aliqua morte tamen quia timuit amissionem temporalis potestatis. & seditionem Iudeorum, iudicauit quasi inuitus filium meum ad mortem. Idè grauius isti iudicabuntur, & deteriores sunt Pilato in conspectu filij mei: Quia Pilatus iudicauit eum propter petitionem & voluntatem aliorum, cum timore quodam. Isti autem iudicant eum propter voluntatem propriam absq; timore quando inhonorant eum per peccatum, à quo si velent, possent abstinere. Deteriores sunt Iuda: quia Iudas tradito Domino scilicet grauius se contra eum peccasse, & properauit dies suos ad infernum, credens se indignum viuere. Isti autem bene sciunt peccatum suum, & tamen perseverant in eo, nullam pro eo in corde compunctionem habentes. Deteriores sunt etiam crucifixoribus eius, qui si sciissent quod fuisset Rex glorie, nunquam crucifixissent eum. Isti autem vident opera eius quotidie & magna mirabilia, vtuntur beneficiis eius, & audiunt quomodo ei seruire debent, & ad eum venire. Sed cogitant apud se, si omnia temporalia sunt relinquenda: Si voluntas eius & non nostra facienda est, grane est hoc & intolerabile. Idè contemnent voluntatem eius, ne sit super voluntatem eorum, crucifigunt filium meum per indurationem: addentes contra conscientiam suam peccatum super peccatum. Isti autem peiores sunt crucifixoribus: quia Iudei fecerunt per inuidiam, & quia nesciebant eum esse Deum: isti autem sciunt eum esse Deum, & ex malitia sua & presumptione propria cupiditatis, crucifigunt eum amarior spiritualiter, quam illi carnaliter, quia isti redempti sunt, illi nondum redempti erant.

CAPVT DECIMUM.

Multitudo peccatorum grauium, in seculo commissorum, non debet retrahere peccatorem ab ingressu in Religionem.

Soleat dæmon nonnullos à Deo ad statum Religiosum vocatos, exagitare peccatorum grauium ab iis commissorum multitudine meti representatâ, vt indignos se statu Religioso sancto existimantes, & non sperantes se in eo melius victuros, ab eo resiliant, & (quod dæmò præterdit) manendo in seculo, plura adhuc peccata grauiata accumulunt, & tandem in iis moriantur,

riantur, ac æternum damnentur. Huic diabolice tentationi valde periculosa, hæc antidota vsui esse poterunt.

Primum, sit illud Christi Domini plenum solatio dictum: dum Pharisei offenderentur, quod post vocatum ad se Matthæum, Christus cum multis publicanis & peccatoribus discubere: quod ergo tunc eis dixit, idem dicendum est tentatori, peccatorem ab ingressu in Religionem retrahenti: *Non est opus valentibus medicis, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium: Non enim veni vocare iustos sed peccatores.* Sanè magis est necessarius status Religiosus magnis peccatoribus, quàm innocentibus, tum vt statum Religiosum amplexi, ab illis peccatis abstineant, in quæ prolapsi sunt per occasiones quæ sunt in seculo, & defunt in Religione; tum vt satisfaciant pro peccatis commissis, per opera Religionis, quæ tota est status penitentia; tum vt iuventur iis medijs & auxilijs, quæ sunt in Religione, & non sunt in seculari statu ad non peccandum amplius, & ad faciendos in Religione dignos penitentia fructus. Ideò Christus Dominus, sicut viuens in carne, publicanorum & peccatorum erat amicus, (quemadmodum ei exprobrabant eius aduersarij) ita nunc libenter tales ad statum Religiosum vocat, vt certius & securius saluet abstractos à peccatis, & ab occasione peccatorum proximis, quæ nulli possunt deesse in seculari statu viuenti.

Secundo, quia Christus Iesus, vt ait Apostolus, venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Inter media autem salutis efficacissima, est status Religiosus; quia in seculari (vt supra vidimus) difficile saluantur homines: & sicut camelus per foramen acus difficile ingreditur; & quia angusta & ardua est via que ducit ad cælum, qualis non est status secularis.

Tertio, Christus ad se inuitat etiam oneratos peccatis grauissimis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Graue onus, inquit S. Bernardus, iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarci- na qui dicebat: iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Cum ergo seculares grauari sunt multiplici onere peccatorum, veniant ad Christum, quia eos vocat vt exoneret in statu Religioso, in quo, hoc modo non peccabunt, vt in seculo. Et exonerabuntur etiam alijs oneribus secularium negotiorum, quæ omnes grauant, & magis eos, qui sunt ceteris ditiores & potentiores, vt ipsimet fatentur. *Aperum enim iugum, inquit S. Gregorius Papa, & dura seruitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed tum transeuntibus non esse transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adceptionis afflexerant, post ex pauore amissionis pre-*

munè. Quocirca SS. Patres, merito animant magnos peccatores oneratos multis & magnis sceleribus, in statu seculari patris, ad Christi iugum in statu seculari portandum.

In primis S. Iohannes Climacus: *Nemo pondus multitudinemq; peccatorum attendens, indignum se monasticâ professione dicat, nec se ita decipiat, vt seipsum humilem existimet, si vt fruatur voluptatibus, arduam virtutis semitam ingredi detrectat, præcedens occasiones in peccatis. Nam vbi putredinis plurimum est, ibi maxima medicorum arte opus est, vt ea putredo omnis depuretur. Qui enim sani sunt, medicorum tabernaculis non adeunt. Et alio in loco, adfert pulcherimum, & plenum magnis solatijs, pro magnis peccatoribus exemplum, de quodam scelestissimo homine, ad vitam monasticam recepto, statim ipso initio mutata ab eo vita, omnium peccatorum remissionem diuinitus consecuto. Cum enim quidam latro publicus conuersus esset, & petisset recipi ad vitam monasticam, narratus prius priuatim sceleribus suis in seculari statu commissis, coram Præsidente monasterij, postea eius iussu, sine vlla cunctatione, quicquid in seculo iniquè operatus est, in Ecclesia coram monachis ducentis & triginta, vinctus post tergum manus, asperimusq; cilicio amictus, conspersus habens cinere caput, dixit hæc ipsa, singulatim & per species, non tantum quæ per corpus, præter naturam, ac secundum naturam, in irrationalibus & mutis animantibus deliquerat, verum etiam veneficia, homicidia, & quæ audire & scriptura tradere fas non est, omnino nihil reticuit: Et ita fratribus aggregatus est, prius tonsus. Cum autem Iohannes Climacus seorsum monasterij præsidem interrogasset secretis, cuius rei gratia, eam peregrinam iudicij formam exhibuisset? Respondit: duarum rerum gratia se id fecisse: tum vt nonnullos ad confessionem hoc exemplo prouocaret, qui peccata necdum confessi erant, & sine confessione, remissione eorum potiri non poterant, tum vt conscientiam, per præsentem temporalemq; confusionem, æternam confusionem liberaret, quod & factum est. Neque enim ex pavimento surrexit, quin peccatorum omnium remissione potitus esset. Nam vnus ex Patribus, qui illis aderant, procerum quendam ac terribilem virum vidit, conscriptam cartam & calamus tenentem: Et cum latro ille humi prostratus, & modicè verberatus, peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo de- lebat, iuxta illud Dauidis: *dixi pronuntiabo aduersum me iniquitatem meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Hæc S. Iohannes Climacus.*

Meritò ergo S. Bernardus peccatores exci- tans & animans ait: *Fugite de medio Babylonis, fugite & saluate animas vestras, conuolate ad vrbes reuerf. ad fugij, vbi posistis & de præteritis agere penitentiam, & in præfenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducia liter præsolari. Non nos retinet conscientia peccatorum, quia vbi illa superabundauerunt, superabundare gratia consuevit. Non penitentia austeritas ipsa deterreat: neque enim condigna sunt paffiones huius temporis, ad præteritam culpam, quæ remittitur; non*

ad presentem consolationis gratiam, quae immittitur; non ad futuram gloriam quae promittitur nobis. Denique nulla est tanta amaritudo, quam non Prophetica farina dulcoret: quam non sapidam reddat Sapientia, lignum vita. Si verbis non creditis, operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum. Currunt undique peccatores ad poenitentiam, & naturam pariter & consuetudine delicati: exteriores omnino asperitatem non reputant, ut exasperate conscientia lemantur. Nihil credentibus impossibile: nihil amantibus difficile: nihil asperum miribus, nihil humilibus arduum reperitur: quibus & gratia fert auxilium, & obediendi devotio lenit imperium. Et alio in loco: Quid timetis modice fidei, ut peccata nolite remittere: sed affixit ea cruci cum suis manibus. Quod teneri & delicati estis? sed ipse novit figmentum nostrum. Quod male assueti & ligati peccandi consuetudine? sed Dominus soluit compedatos. Forte ne irritatus immanitate & multitudine criminum cunctetur porrigere manum adiutorij: sed ubi abundavit delictum superabundare & gratia consuevit. An de vestimento solliciti estis, vel cibo, ceterisque corpori necessariis & propterea cunctamini relinquere vestras? sed scit quia his omnibus indigetis.

§. 3. in Cant.

147. de discipl. & profect. mon. c. 4. Col. 5.

Pulchre hoc ipsum argumentum, ut solet talia, tractat B. Laurentius Iustinianus: Quantumcumque infirma sint membra quantumcumque iaceant & saeciant, non repelluntur a Christo, non deseruntur ab ipso, sed fouentur, pascentur, curantur, & viuificantur. Quoties volui congregare filios tuos, ait ad Ierusalem, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Nonne Samaritanum semiuuum iacentem, vulneratum, & a praesereuntibus derelictum, suscepit in humeris, reduxit ad stabulum, sicut, vulnus alligauit, & stabulario commendauit? Numquid abiicit publicanum spiritu egrotantem? nonne suscepit eum, humiliter orantem exaudiuit, & iustificatum de templo abire permisit? Quid de Maria dicendum est, quae tantorum immanitate scelerum oppressa iacebat: quam dulciter eam traxit, quam suaviter emollit cor eius: imbribus lacrymarum sibi lauare permisit pedes, extergeri criminibus, & osculis delinxi, nec inde eam discedere passus est, donec cunctorum veniam reciperet delictorum. Cur haec? Nempe quia membrum suum diligebat, etsi nondum sanum, tamen sanandum, non aspicebat Dominus quid tunc ipsa erat, sed quid futura erat. Tanquam si artifex & faber lignorum, de stylna excidat rudem arboris truncum, de quo velit ingenio suo formare imaginem, ad decorem regia domus. Tant enim imaginem operatus est in corde suo, antequam dolare lignum inchoat. Tam in suo gaudet artificio, tantum, rudo lignum aestimat, quanti quod ex ipso elicere meditatus est: sic nimirum, sic agit optimus artifex omnium Dominus Iesus. Diligit namque, quos praedestinavit electos suos, illos tolerat, illos immo fouet charitatis affectu, non ut ipsorum commendet facinora, non ut placeant spirituales fordes ei, cui nihil immundum placet, sed quoniam praedestinati sunt ad vitam, praestolatur Dei Sapientia, ut suo tempore eos mundet per gratiam, iustificet a peccatis, dicet virtutibus, donisque spiritualibus ornent, ita ut digni efficiantur qui sint pretiosi lapide

des in structura caelestis Hierusalem. Ipsos itaque electos suos, non quales sunt in saeculis criminum, sed qualis in arte summa sapientiae suae, illos facere disposuit, amplectitur, & amat Deus.

Quocirca nullus ob multitudinem & grauitatem criminum commissorum in statu seculari, deterreari debet ab amplectendo religioso statu, (si aliud non obstat) & cum mutatione status speret vitam quoque in melius mutationem: tum ob sublata impedimenta & occasiones seculi in Religione, tum ob auxilia & media, quibus abundat status Religiosus ad vitam sancte instituendam (de quibus supra egimus) tum potissimum ob Dei singularem fauorem, quo peccatores conuersos, & Religionem ingressos, profectur, ut scribit S. Bernardus: Diligens eos tanquam viscera sua, tanquam fructum preciosissimum crucis suae; tanquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui. Quapropter ut suadet S. Augustinus, magnis ante conuersionem suam grauatius peccatis: Proice te in Deum, noli metueres, non se subtrahet, ut cadas, proice te securus, excipiet te, & sanabit.

148.

149.

ep. 109.

1.8. Confess. c. 11.

Non timeas ne non perseueres, etsi multos videas non perseuerare in statu Religioso, quia ut bene obseruauit S. Ioannes Chrysothomus; Vnde tibi constat quod non perseuerabis? Multi enim perseuerauerunt: & quidem multi plures, quam qui exciderunt. Itaque istorum causa magis confidendum est, quam illorum causa metuendum. Non omnes qui in Religione sunt, fuere te meliores (quamquam ex instinctu humilitatis, debes existimare te fuisse & esse meliores) & tamen tam multi, olim peccatores in seculo, imo & latrones perseuerarunt. Idem cum S. Augustino, suorum peccatorum confitio, se animante spe auxiliorum diuinitus, dic: tibi (in Religiosis Domiciliis) tor pueri & puella: tibi iuuentus multa, & omnis aetas & graues viduae, & virgines, & anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed secunda mater filiorum gaudiorum, de marito te Domine. Et iridebat me irrisione exhortatoriâ, quasi diceret: Tu non poteris quod isti, & ista: an verd isti, & ista in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo?

150.

1.3. conf. virup. vit. mon.

1.8. Confess. c. 11.

Quocirca S. Thomas in quodam Opusculo expressè asserit, & probat allatis rationibus, pueros, & eos qui de nouo conuertuntur ad fidem, & peccatores per poenitentiam conuersos, qui in seculo male vixerunt, posse recipi ad Religionem, etiam si ante ingressum in eam, vixerunt incontinentes. Qua de re non audeo contrarium asserere, tum propter reuerentiam Angelici Doctoris, tum quia scio talium (paucorum) ingressum in Religionem, exitu bono, fuisse coronatum, tamen nunquam suasi vlli ingressum in Religionem, qui saltem per sex menses, non abstintuit ab omni peccato mortali, & videbatur mihi nunquam ad illud rediturus. Ordinariè enim qui non sunt tales, non perseuerant in Religione: & si perseuerant, perunt

151.

Opuscul. c. 3. 4. 5. cont. retrah. ab ingr. Relig. & 1. 2. q. 189. 2. 1.

runt Deum offendere, peccatis mortalibus in Religione, quandoque notis etiam aliis, & domum Dei (quantum est in ipsis, ex parte sua) faciunt speluncam latronum, & priuant se illis bonis, quæ adfert Religiosus status religiose viuentibus in eo, & quandoque scandalis publicis vel apostasi infamant Religionem. Et ita etiam S. Basilus non suadet, immo dissuadet admittere ad vitam monasticam, homines adhuc in peccatis grauibz delitescetes, sed non nisi iam emendatos. Sed propter contrariam doctrinam S. Thomæ, vtraque sententia habet sua momenta. Quanquam S. Thomas in eodem Opusculo expressè fauet meæ sententiæ, & securiorem putat sic loquens. Fatemur, quod si qui sunt in vita seculari exercitium preceptorum habentes, melius possunt in Religione proficere: sed sicut ex vna parte preceptorum exercitium in vita seculari preparat hominem ad consilia melius obseruanda, ita ex alia parte secularis vita consuetudo (scilicet vita peccatis dedita) consiliis obseruandis impedimentum prestat. Et scio etiam perditæ vitæ homines ad ipsam in Religionem ingressum grauibz sceleribus ac diuturnis irretitos, statim in Religione mutatos esse, & Angelicè vixisse. Sed plures noui, qui hanc ob causam, à Religioso statu, vel citò, vel multò post defecerunt, quia non seruando decalogum in seculo vsque ad ipsum ingressum, Christi consilia in Religione seruare conati sunt, & erigere altam perfectionis fabricam in ea, non iactis solidis fundamentis in seculo, obseruationis Dei mandatorum, quæ omnino præmittenda est.

CAPVT VNDECIMVM.

Declinanda via conducentes ad peccata mortalia, scilicet conuersatio cum personis malis, aspectus curiosus pulcherrum facierum, lectio librorum obscæna & venerea tractantium.

Primus modus declinandi à malo est, abstinere ab omni peccato mortali, de quo supra egimus. Secundus modus est, abstinere à viis quæ homines conducunt ad aliquod peccatum mortale. Nam vt Abbas Pinuphius ait apud Cassianum, vt vnumquodque peccatum possit extinguere, causa atq; occasio, per quam vel ob quam admissum est, debet primò amputari. Hæ viæ sunt diuersæ, vnus per hanc, alter per alteram eò deducitur: quod vni nocet, alteri non nocet: aliqui tamen qui viuunt liberius & dissolutius, per omnes has vias, quas hic recensebo, ambulat, & ad perpetranda multa & varia peccata mortalia perducuntur. Qui autè vocatur à Deo ad statum Religiosum, debet omnes istas vias declinare tanquam malas, quia per illas peruenit ad malum peccati. Prima via est. Conuersatio cum personis malis hoc est, cum talibus, quæ vel malo exemplo noto aliis, vel obscænis colloquiis, vel quod pe-

ius est, malis consiliis & suasionibus inducunt & incitant ad aliquod peccatum mortale, siue ebrietatem, siue adeundas domos inhonestas & periculosas, siue ad choreas cū scæminis, siue ad comedias lasciuas, siue ad deambulationes in illis locis, in quibus quis, vel it nolit, cogatur sine vlla necessitate vrgenti, conuersari cum scæminis, eas aspicere, præsertim se lauantes in fluuiis, & ad his similia, quæ solent adolentes valde commouere ad peccata contraria castitati. Qui ergo vult Religionem ingredi, statim debet talium conuersationem fugere & declinare, etsi eos debeat offendere. Hoc Christus Dominus illà parabolà docuit: Si oculus tuus dexter scandalizat te (hoc est, dicit ad peccatum curioso aspectu) erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et, si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Non quod velit nos Christus Dominus re ipsa oculi eruere, manum abscindere, dum sunt instrumenta alicuius peccati, quod his membris committunt homines, sed vt explicat S. Basilus: *Omne quicquid scandalizat, (id est, ad peccatum perducit, hoc est enim proprie scandalum actiuum, vt docent Theologi cum S. Thoma, quod omnino vitari debet) amputari debet, (hoc est, remoueri, declinari, vitari) licet coniunctissimum ac summe necessarium nobis videatur.* Et in particulari S. Chrysostomus, per dextrum oculum & manum, accipit mulierem amicam, illa enim abicienda est, si nos ad libidinem suo aspectu, voce aut gestu prouocat. S. Augustinus verò, per dextrum oculum & manum, accipit quemuis amicum, & ministrum etiam necessarium. S. Hilarius & S. Cyrillus & S. Athanasius (vel quisquis est author illarum questionum ad Antiochum) accipiunt parentes & cognatos: horum enim conuersatio resecanda est, si nos ad peccatum trahit. Non est tanti facienda illa recreatio, illa deambulatio, ille lusus cum malo amico, sicut damnum animæ, inde sumentis occasionem perdendi gratiam & amicitiam Dei, tibi magis necessariam. Benè dicebat Augustus Cæsar, minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum, nullà capturâ pensari potest. Quocirca vt monet S. Chrysostomus: *Cur si pestilentem locum & contagionis plenum videris, consuetudinem illius loci fugis, quamuis sexcenties ad domicilium illud traharis, & corporis valetudinem, rebus omnibus ceteris anteponis; vbi verò opinionibus pestilentibus, (vel factis aut verbis obscænis) quidam complentur, ac egritudinibus, qua non modo corpus corrumpunt (vbi sunt excessus in cibo & potu & similia) sed animam quoque perimunt, ac deteriorem vilioresq; reddunt, non omnino refers te? Idem sentiendum est de recreationibus cum talibus, quod de perfo-*

161.
Matth. 5. 29-30.
in Moral. Reg. 41. c. 1.
2. 2. q. 43. a. 2. & 3.
Ch. hom. 17 ad pop.
A l. i. de ferm. Do. mi. Hil. in commen. Cyr. l. 2. in Ioan. cap. 28. Ath. qu. 70.
Sueton. in Augusto. c. 25. or. 2. de prouid.

